DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

STRICTURIS IN URETHRA.

5

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
STRICTURIS IN URETHRA:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL TUCKER,
JAMAICENSIS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

"Phoebe fave! novus ingreditur tua templa sacerdos."
TIBULLUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.
MDCCCXXII.

VIRO SPECTATISSIMO,

JACOBO R. GRANT,

EQUITI, M. D.

COLLEG. REG. MED. EDIN. SOCIO,

NUPER

IN EXERCITU BRITANNICO VALETUDINARIORUM

PRAEFECTO GENERALI,

HOCCE TENTAMEN,

PERTENUE OBSERVANTIAE TESTIMONIUM,

ANIMO

OB PLURIMA BENEFICIA

GRATO,

D. D. D.

AUCTOR.

JOANNI W. TURNER,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

NECNON

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. CHIRURGIAE PROFESSORI,

VIRO

NON MINUS IN ARTE PERITO,

QUAM

VITAE VIRTUTIBUS INSIGNI,

HOCCE OPUSCULUM,

GRATI ANIMI

PEREXIGUUM INDICIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

STRICTURIS IN URETHRA.

AUCTORE SAMUELE TUCKER.

Res, de qua in hocce tentamine scripturus sum, multiplex est. Urethrae enim Stricturarum plura sunt genera et medendi rationes, quae propositae fuerunt, multum inter se differunt. Cogitanti autem de quo morbo, Tentaminis Inauguralis causâ, scriberem, mihi visum est deligere hoc vitium, de quo Medicorum opiniones tantum inter se discrepant, ut melius scirem quid quisque clarissimus de eodem sentiat. In animo est igitur res (quantum judicare queo) praeci-

puas breviter proferre, quas in eorum libris repererim, qui de hoc vitio disseruerunt. Principio autem de Urethrae fabrica, de Stricturarum natura, deque earum generibus, pauca dicturus sum: dein de mali indiciis, tum quae in parte laboranti, tum quæ in toto corpore conspiciuntur, postea de ejusdem causis, deque sequelis, postremo de medendi rationibus breviter disserere cogito. Necesse est ut vera Urethrae fabrica ante comperiatur, quam de Stricturæ natura statuere fas sit. De ejus fabrica tamen minime inter Anatomicos constat. In eo maxime differunt, quod alii credunt Urethram musculosam esse, vel saltem potestatem se contrahendi et relaxandi habere, qualis musculis contingit. Alii contra arbitrantur eum canalem e membrana compositum esse ejus generis, ut a vi distendente dilatetur, dein, hac vi remotâ, renitatur et in pristinam molem redeat. Utrique opinioni non desunt argumenta, quae probabilia videntur,—mihi vero prior magis placet, propterea quod plura phaenomena sunt tum in corpore sanitate

utente, tum vitio laborante, quorum, sicut ego opinor, ratio melius redditur, si Urethra tunicâ musculosâ instructa, quam si e membrana renitente formata esse, habeatur. Primo enim patet, Urethræ ambitum multo minorem esse, ubi semen ejicit, quam ubi urinam reddit. At nisi canalis latera inter se contingant (quod quidem ponitur sed non confirmatur) non fieri potest, quantum mihi videtur, ut tanta ambitûs mutatio oriatur nisi a contractionis vi musculosa. Deinde quoties coeli calore halitus per cutem plurimum auctus fuit, et urinâ parcior, et ideo acrior solito facta, rivo extenuato, ex Urethra fertur. Cujus rei ratio satis in aperto est, si Urethra musculosa habetur: fibrae enim musculosae, urinae acrimoniâ auctâ, ad se validius contrahendum excitantur, ex quo canalis, quem circumdant, angustior fit *. Aliae quoque causae Urinae rivum extenuant, sano etiam corpore, praesertim ii animi

* Vide Home on Stricture.

affectus, qui vim irritabilem generis musculosi intendant. Quoties autem fibrarum musculosarum irritabilitas intenditur, necesse est ut par contractio ex solito stimulo, ac quae ex aucto stimulo fiat ubi ea vis nihil justum supra modum est. Fibrarum praeterea musculosarum vim irritabilem quaevis inflammatio auget. Et quod in Urethra fit, inflammatione ortâ, huic rei respondet. Nam si quando, aut a Gonorrhoea, aut acribus in Urethram injectis, aut quavis alia causa, inflammatio ibi accedit, urinae rivus tenuior fit. Ad haec in spasmodici generis Strictura, et etiam in primo Stricturae stabilis tempore, adhuc magis urinæ rivus extenuatur ita ut saepe stillatim reddatur, siquando vir iis causis oblatus fuerit, quae aut urinae acrimoniam aut fibrarum musculosarum vim irritabilem augent: cujusmodi sunt subitae temperiei mutationes, potio liquoris validi immodica, concubitus, atque alia similia. Habes igitur plurima phaenomena, alia sana, alia vitiosa, quae omnia rationi propositae ad unguem conveniunt. Neque ullo alio modo rationem

hujusmodi veram esse scire licet, quam ut omnia phaenomena explicet, quae ad rem pertineant.

Neque haec opinio falsa habenda est, quia fibrae musculosae non hactenus extra omne dubium in Urethra conspecta sunt. Ne eas ibi existere quidem necessarium est, ut haec ratio vera sit. Non veras fibras musculosas ibi esse, sed contractionis et relaxationis potestatem ei inesse, contendo. Et jure credere licet similem potestatem quibusdam aliis corporis partibus contingere, quae nullis fibris musculosis instruantur. Haec res igitur opinionem, quam sustineo, admodum confirmat. Porro eo magis roboratur quod aliae Stricturae, quibus corpus obnoxium est, partes musculosas praecipue infestant: veluti Œsophagum, Rectum Intestinum, aliasque Canalis Alimentarii partes. Non tamen silentio id praetereundum est, quod celeberrimus C. Bell, qui, quantum scio, maxime omnium contra nostram opinionem pugnat, alio modo vult explicare ea phaenomena, quae nobis pro

vi Urethrae musculosa, stare videntur. Ille credit tenuitatem rivi urinae, quae conspicitur, quoties insolitus stimulus Urethrae admovetur, aut augetur sensibilitas ejus, ut ille loquitur, sive irritabilitas, quod alii vocant, non ex totius canalis ambitu contracto oriri, sed ex parte ejusdem tantum imminutâ propter eorum musculorum contractionem, quae partem Urethrae posteriorem cingunt. Et quia stimulus non his musculis admovetur, sed interiori Urethrae parti, affirmat contractionem horum musculorum membranae Urethrae sensibilitati respondere. Sive ut ipse ait, "The sensibility of the Urethra "governs the contraction of those muscles." Non patet tamen, ut mihi videtur, id verum esse, nec, quod posuit, argumentis id ille confirmavit. At si non pro comperto est, ratio qua phaenomena, de quibus agitur, explicat, nihil aliud quam conjectura ducenda est. Porro idem auctor experimenta instituit, ex quibus colligit partem Urethrae anteriorem rem solidam immissam neque amplecti, neque expellere, neque humorem infusum ejicere

posse, quemadmodum necesse sit ut fieret, si se contrahendi potestatem haberet. In haec experimenta * non descendam, sed ea nihili facio, quia ex rebus veris notisque patet partem Urethrae anteriorem posse tum rem solidam amplecti atque expellere, tum humorem infusum ejicere. Nam si virga cerea mediocri mole in Urethram immissa fuerit, dein summo digito, nulla vi admota, sustinetur, aequali motu expelletur; nec is motus celerior est, ubi alterum ejus caput per eam Urethrae partem fertur, quae musculis circundatur, quam cum per partem ejus anteriorem labitur, quo loco nequit fieri ut ulla vis musculosa, nisi quae in ipsa sit Urethra, eam propellere possit †. Hoc bene notum est Chirurgis, nec minus res certa est quod humor acris in Urethram, urgente Gonorrhoea, forte injectus saepe non modo cursu impeditur, sed interdum haud parva vi ejici-

---

* "Qui ea velit legere evolvat." "Bell's Letters on Stricture of the Urethra."

† Vide Howship on Diseases of the Urethra.

tur. Impromptu est alia plurima argumenta proferre, ex quibus credibile est Urethram tunica musculosa instructam esse, sed res diutius in hac Tentaminis parte morari vetat.

Proximum igitur est, ut de Stricturae natura et speciebus quaedam dicam. Quum autem ad opinionem, quam Hunter, Home, aliique tenuerunt de Urethrae fabrica, accedimus, necesse est ut eorundem sententiam de Stricturae natura et ejus speciebus ineamus. Urethrae Strictura, (ut hi credunt), partis alicujus Urethrae contractio spasmodica est. Simplex contractio spasmodica facile usque augetur, donec pars contracta in pristinam molem a vi distendente restitui nequeat: tum Strictura stabilis fit: si quando strictura, quae vi distendente submoveri nequit, adhuc magis contrahi potest, insolito stimulo admoto, aut Urethrae irritabilitate aucta, Strictura mixta vocatur. Simplex Strictura spasmodica, cadavere secto, canalis partis alicujus coarctationem simplicem ostendit:

In stabili Strictura contra lira, quasi, quae in Urethram prominet, aut per totum ejus ambitum, aut in parte tantum ejus in conspectum venit: et pars quae exsurgit, fabricâ canalis ibi mutatâ, durior quam reliqua Urethra et magis albida est.

DE STRICTURARUM INDICIIS.

Stricturae in Urethra indicia aut in parte ipsa, aut in toto corpore oriuntur. Praecipua, quae partem ipsam afficiunt, indicia ejusmodi sunt; urinae rivus extenuatur, usque adeo interdum ut lotium stillatim feratur, quod potissimum fit, si a quavis causa aut urinae acrimonia aut Urethrae irritabilitas solito major evaserit; urina saepe in binos rivos diducitur aut in spiram torquetur. Per justum tempus retineri nequit; ad eam reddendam nisu insolito opus est, et, eâdem redditâ, glans penis dolet et molestiae sensus urget. In Strictura stabili, humor saepe ab Urethra fertur, et in simplici

etiam Strictura spasmodica, aliquid post concubitum pro tempore effunditur. Ad haec accedit seminis emissio nocturna. Indicia, quae totum afficiunt corpus, pauca sunt et rarius incidunt. Ex iis quod maxime insigne conspicitur, febris accessio est quae intermittentem refert; haec raro ultra duas accessiones perseverat; vulgatior est in regionibus calidis quam sub hoc coelo. Interdum quoque Ventriculus et Intestina se male habent. Et quidam memoriae prodiderunt se vidisse, hoc malo urgente, fauces et tonsillas inflammatione implicari.

DE STRICTURAE CAUSIS.

De causis Stricturae Medici haud parum inter se dissentiunt. Antequam clarissimus J. Hunter scripsit, iis plerisque persuasum est Stricturam aut a Gonorrhoea, aut a curatione adversus id malum adhibita semper oriri. Ille fortasse nimium ab hac opinione decessit; nam eam unquam ab alterutra ha-

rum causarum afferri vix concedit. Si pro vero assumere licet Urethrae canalem vi musculosa contrahi posse, auctam ejus irritabilitatem oportet causam hujus vitii generalem haberi. Manifestum autem est, hanc ejus canalis conditionem a causarum varietate oriri posse; veluti ab acribus injectis, ab inflammatione Gonorrhoeae, a calculo in Vesica, a vi externa, a cantharidum absorptione, et demum a consensu cum partibus quae vicinae sint. Jam patet Stricturam, citra Gonorrhoeam, Urethram infestare ab exemplis haud paucis fideliter traditis, ubi pueri hoc malo procul dubio prius laborabant quam fieri potuit, ut Gonorrhoea inficerentur. In plerisque his exemplis, malum a strumoso habitu corporis, aut a calculo in Vesica, pendere videbatur. Quibusdam placuit hoc vitium semper creari ab acribus injectis inter Gonorrhoeam curandam: rem autem non ita esse satis in aperto est ex eo quod clarissimus Home de Indiae Orientalis Indigenis retulit: quorum plurimi, ille ait, Strictura in Urethra afficiuntur ex Gonorrhoea, nec tamen

unquam injectionibus utuntur ad id malum submovendum. Idem tamen Auctor exempla protulit, in quibus compertum erat cum Gonorrhoeam tum acria injecta Urethrae Stricturam attulisse. Calculi in Vesica, Urethrae Strictura nunc effectus nunc causa esse videtur: nam quoties calculus in Vesica est, Urethra per consensum laborat, ex quo irritabilitas ejus augetur, dein si Strictura urget, calculus facilius in Vesica nascitur, quia urina non libere effertur.

Stricturae in Urethra exempla a vi externa orta exponuntur in eximio libro jam citato de hoc malo, quem celeberrimus E. Home edidit. Quod ad Stricturam a consensu cum partibus vicinis attinet, haud raro a Glandulae Prostatae aut Intestini Recti vitio concitari videtur. Sub hoc quoque capite Stricturam, quae ab Ascaridibus in Intestino Recto hospitantibus creatur, recensere oportet.

Inter effectus, qui Stricturae Urethrae superveniunt, meminisse debemus Stranguriam,

Urinae Retentionem, Tunicas Vesicae crassiores factas, Inflammationem membranae mucosae, quae Vesicam obducit, Fistulas in Perinaeo, et Testem tumefactum. Strangura, aut Retentio Urinae, saepe ideo oritur, quod aegrotans imprudens, solito modo monitus, Urinam non reddit: Vesicae tunicae crassiores fiunt ob nisus, quos fibrae ejus musculosae edunt ad Stricturae renixum superandum. Tunicae Vesicae mucosae inflammatio, ab Urethrae vitio introrsum tendente, moveri videtur: aliquando in magnum surgit, ad Peritonaeum pervenit, et Glandulae Prostatae involucrum invadit, ex quo illud organum secretionem vitiosam effundit. Fistulae in Perinaeo, parte Urethrae posteriore ulcerata propter urinae exitum prorsus impeditum, afferuntur. Testis tumefactus ejusdem malum generis est, quod in Gonorrhoea incidit, cui nomen Hernia Humoralis inditum est: Brevi plerumque decedit.

DE MEDENDI RATIONE.

Nunc ad curationem perventum est, de cujus ratione minime inter medicos constat. Maxime vero differunt de medendi ratione in Strictura stabili. In Strictura simplici spasmodica fere cuncti jubent partem contractam vi distendente mechanica dilatare. Id efficiendum est aut virgulis illis cereis quae Anglice "Common Bougies" appellantur, aut virgulis metallicis, quae flecti possint, aut Catheteribus e gummi elastico conformatis. Sanguinis detractio quoque per hirudines, et balneum calidum, hic saepe conveniunt. Quoties Strictura stabilis est, alii vim mechanicam, qualem jam posui, praecipiunt, ex cujus pressione partis ulceratio fiat ita ut id, quod in Canalem promineat, tollatur; alii argenti nitratem, alii potassam puram parti contractae admovendam esse jubent. Quidam denique viam in Vesicam per Catheterem argenteum coniformis figurae patefactum iri volunt. Horum autem

quaeque pars suam medendi rationem laudibus efferunt, et aliis cumulant opprobria. Credo quidem harum aliam aliàs proficere; quanquam vix adhuc compertum est, cui mali generi quaeque conveniat. Si in promptu erat omnes Stricturae varietates, explorando Urethram, detegere, pateret fortasse quibus exemplis quaeque ratio respondeat. Quod dies, ut sperandum est, tandem dabit. Interea uniuscujusque Medici est harum rationum commoda sigillatim perpendere, quantum nota sunt, quo eam deligere melius sciat, quae singulos aegros ad sanitatem perductura sit. Medendi ratio autem, quae plurimis morbi exemplis convenire videtur, ea est, in qua ulceratio partis, quae viam obstruit, pressione mechanica efficitur. Hoc peragendum est aut virgula cerea communi, aut cathetere ex gummi elastico facto, aut virgulis metallicis quæ flecti possint. Ex his tribus modis curandi per pressionem et ulcerationem, catheteres ex gummi elastico a plerisque laudari videntur. Nam non modo minus molestiae aegrotanti facessunt, sed per

Stricturas transjici possunt, in quibus illa alia instrumenta frustra tentata fuerant. Ad haec id commodum accedit quod non necesse sit, sicut in aliis, ut ab Urethra abducantur, quoties vir urinam reddere velit. In adhibendo lentas virgulas metallicas, id incommodum accidisse videtur, quòd in Urethra fracta fuerunt. Modus autem, quo fiunt, ita in melius nuper mutatus esse dicitur, ut nihil tale nunc metuendum sit. Vulgari virgulae cereae anteponuntur, quia firmiores melius Urethrae curvaturam tenent.

Duobus modis hodie instrumenta caustico armantur, Stricturam in Urethra submovendi causa; in altero quorum argenti nitras, in altero potassa pura adhibetur. Quod ad instrumenta hoc modo armata duae controversiae motae sunt; primo utrum necne tali modo omnino uti oporteat, dein, eo concesso, an satius est nitratem argenti an potassam puram adhibere. Negari non potest ea instrumenta praesertim,

quae argenti nitrate armata sunt, haud raro perquam nocuisse : attamen, si scienter adhibita fuerint, ea esse videntur, ut ex maximo sint usu. Aliena sunt siquando Urethrae canalis late obstructus est, et maxime adjuvant, in eo contractionis genere; quod, quasi filo Urethram coarctante, allatum esse videtur. Argenti nitras Stricturae admotus cum substantiâ, quae Canalem impedit, sese conjungit et parte quasi spongiosâ factâ, iter per aliquod tempus quodammodo magis obstruitur. Sed post unum alterumve diem, pars corrupta aut tota simul aut paulatim frustulis cum urina ejicitur. Cura adhibenda est, ne citius quam sponte separata fuerit, submoveatur aut virgulam inferendo, aut urinam nimia vi expellendo ; fieri enim potest ut exinde sanguinis profusio ingens oriatur. Potassa pura non videtur partem hoc modo corrumpere ; in saponem, ut apparet, cum oleo quod ad virgulam lubricandam adhibetur, et Urethrae humoribus mixta vertitur : sensum igitur partis, cui admota sit, tantum-

modo hebetat, ita ut magna virgula protinus, nullo incommodo, immittatur et ulceratio deinceps premendo efficiatur. Quidam autem credunt eos, qui potassam puram laudarunt, ideo potius profecisse quod ampliores virgulas post causticum admotum immittunt, quam ii Chirurgi adhibere solent, qui, nullo caustico admoto, premendo Stricturam curant. Et porro Stricturam minus saepe redire post curationem peractam sola pressione, quoties Chirurgus perseveraverit, usque dum virgulae solito haud parum ampliores facile per eam injici potuissent.

Alia curandi ratio adhuc restat consideranda, ea nempe, qua per catheterem argenteum iter in Urethram vi aperitur *. Haec ratio parum in nostra regione adhibetur, sed Chirurgi Gallici eam laudant. Nulla meden-

* Clarissimus Dr Monro filius, ut apparet, primus hoc instrumentum adhibendum esse suasit.

di ratio, argumentis pro ea inauditis, damnanda est; sed haec certe periculosissima: nec possumus, sine aliqua formidine nobiscum, reputare quantum mali secum afferat. Satis patet, plures in quibus ea adhibita fuit in Gallia, inde interemptos esse. Ad curationem confugere, quae tantum habet periculi, minime licere arbitror, nisi in iis quibus nulla alia salutis spes relinquitur.

FINIS.

Excudebant Jacobus Pillans & Filius.